

G. Schütze.

Altonae, 1758.

AB

503 5
i, 22



~~100~~

100







IACOBVM LAMPADIVM IC^{rum}
DE REBVS AD DOCTRINAM SANCTIOREM
PERTINENTIBVS SOBRIE AC MODESTE DISSERENTEM
EX AVTOGRAPHO SISTENS

SERMONEM LATINVM

DE

IRVLENTIS ORACVLORVM DIVINORVM

INTERPRETATIONIBVS,

QVAE NOSTRA AETATE IN CIVITATEM SACRAM
IRREPSERVNT,

SVB NOVI MVNERIS AVSPICIA

R. S. c^o l^o CCLVIII. A. D. XI. AVGVST. HOR. X. ANTEMER.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICE RECITANDVM

INDICIT

GODOFREDVS SCHÜTZE,

THEOL. PROF. DESIGN. HAFNIENS. SENAT. SACR. REG. ADSESS.

PAEDAGOGII RECTOR,

ACAD. SCIENT. HAFNIENS. ET BEROLINENS. SODALIS,

CIETATVM LITTERARIARVM LATINAE IENENS. ET TEVTONICARVM

REGIOMONTANAE, LIPSIENSIS, IENENSIS ET HELMSTADIENSIS

MEMBRVM HONORARIVM.



ALTONAE STANNO BVRMESTERIANO.



JACOBYM LAMPADIVM NOMINE
F. REBER AD DOLFRINAM BAVARICAM
PRIVILEGIUM SOBRIE AC MODERATE DISSER. TITULI
EX AYTGRAPHICIS SISTENS

PERMONTIEM LANTIVM

IRVINGIUS GRAE VILLEM DIVISIONVM
IN RECREATIONIBUS
OVALI NOSTRA APTATE IN OPTATAM SACRAM
RECREATIONEM

SUB NOVI ANKERIS AVSPICIA
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE

IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE

IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE
IN APTATE NOVA APTATE NOVA APTATE





Q. D. B. V.



Demandata mihi est ab AVGVSTISSIMO
 REGE, PATRIAE PATRE INDVL-
 GENTISSIMO, historiam sacram et
 patriam in Christianeo academico publice
 docendi prouincia; demandatique muneris ab oratione
 latina propediem recitanda capiendum est auspici-
 um. Sollemne illud nostrum significanti et argumentum signi-
 ficationis circumspicienti mihi in mentem incidit anecdo-
 ton litterarium, quod bella hac occasione subnata com-
 municare cum lectoribus operae pretium existimaui.

Latent apud me autographa epistolarum nondum editarum, et vel a sola auctorum celebritate commendationem mutuantium. Insigniuntur enim BEZAE, BROSENI, DORNFELDI, GRAEVII, HVNNII, LAMPADII, MEIBOMII, MEISNERI, SAVBERTI, SCHVRZFLEISCHII aliorumque doctrina et fama illustrium virorum nominibus, historiamque sacram et litterariam superioris saeculi mirifice illustrant. Trigam istiusmodi epistolarum in *Bibliothecae*, vti inscribatur, *Hamburgensis* tomo tertio, trigamque alteram in commentario de vita BROSENI a me confecto compluribus abhinc annis ab interitu vindicaui; lubensque intellexi, me cupidorum lectorum expectationi abunde satisfecisse. Ex eadem qualicunque penu litteraria promere nunc libet epistolam, nec a scholis nouis aperiundis nec ab argumento orationis publice recitandae prorsus alienam. Exarata illa est a IACOBO LAMPADIO *ICto* ad CONRADVM HORNEIVM, Theologum et Philosophum, vt tum erant tempora, consummatissimum; auctoremque prodit de republica sacra et litteraria praeclara quaeuis sentientem, deque rebus ad sanctiorem disciplinam pertinentibus non proterue ac friuole, sed sobrie ac modeste disputantem. De vita auctoris, quem *illustrium ac christianorum ICtorum* adscripsit numero ZIEGLERVS *ICtus*, parum aut nihil attinet dicere. Professorio primum iuris publici in academia Iulia munere functus, tum Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium in aula Guelphica, post etiam Hanoerana amicus, saepe et inprimis ad transactionem Westphalicam legatus, ac postremum Procancellarius inter prae-

cla-



clarissimos illius aevi Iurisconsultos praecipuum obtinuit locum,

Qualem lenta solent inter viburna cupressi.

Neque scripta Viri Excellentissimi ad iurisprudentiam elegantiore facientia prolixè nunc enarrare expedit. Nam haec omnia quis in hanc cogat angustiam? Promissi memor ipsam LAMPADII epistolam exhibebo integram:

Vir plurimum reverende, clarissime et eminentissime,
Amice longe exoptatissime,

Magnopere laetor, de *Socini* dogmatibus diuulgandis Te idem mecum sentire. Verissimum enim esse didici, vitia et errores specificè nimis vulgo defringere, nihil esse aliud quam vitia docere. Sed nequaquam tamen sentio, quod in Academiis eiusmodi nefandos errores detegere non oporteat: illud enim tantopere necessarium arbitror, quam quod maxime. Nisi enim iuuentuti ostenderis, quam lubricis principiis nitatur illa vafrities, facili negotio irrepere potest nequitia in incautos curiosae iuuentutis animos, praecipue si cultiori amictu ornata sit. *Ea namque mali genii calliditas est, vt venena animae specie pulcri propinet.* Retulit mihi Francofurti magnus ille GROTIUS, *Sibrandum* Calvinistam refutationem *Socini* suscepisse infelici prorsus successu: hominem enim non iis litterarum subsidiis instructum esse, quae solida istius haereseos confutatio desideret; hinc accidisse, vt quam multi imbecillitate confutationis commoti Socinianos impensius fauere coeperint; et nonnulli Arminianos excusare sustinuerunt, qui gradus

mihî primus esse videtur ad defectionem a veritate. *Hic mihi animaduertere liceat, quam procliuus sit ipsorum lapsus, qui antiquitatis orthodoxae testimonium et auctoritatem perspectam non habent.* Ne putes, *amicissime et optime Vir,* me amicitiae nostrae nimium in hoc negotio tribuere. Ego laetitia exilii, simulatque solidissimas *Tuas* responsiones intuitus sum: nihil enim legi, quod mihi non satisfecisset. Iam vero *Tua* incomparabilis eruditio vaferimorum hominum astutiam atque fraudes tantopere labefecit atque detexit, vt aliquoties Deo ex intimo cordis adfectu egerim gratias, quod hisce calamitosissimis temporibus superesse voluerit catholicae veritatis peritissimos propugnatores, eosque maximos amicos meos. *Videor mihi videre, haereses atque flagitia agminatim irruptura, si calamitates verae eruditioni alas porro interuellerint.* Si vero, *Optime Amice,* otium suppetit, etiam atque etiam rogo, vt in praeclarissima opera progrediaris, et vltterius refutes sceleratos illos homines, si etiam in aliis articulis ecclesiam veram impugnant Sociniani. Ego ipsorum scripta non legi, neque legere volo vnquam, quocirca, quod aliis de rebus infaniant, non satis compertum habeo; si exceperis articulum de satisfactione Seruatoris nostri, vbi GROTIUS illis egregie occurrit, quem legi, et ille mihi adfirmavit, quod libellus suus de satisfactione nuper in Polonia recusatus esset non absque fructu. Est sane prorsus eximius, vt non poterit non multum boni parturiisse.

De visitatione coenobiorum vestrorum mirari subiit, quid rei subfit, si de re domestica tantum agetur. Nihil periculi subesse puto, et recte feceritis, si citati adfueritis.

ritis. Etiam vero atque etiam referre arbitror, vt vel *Tu* vel *Calixtus* noster vel vterque vestrum illuc proficiscamini. Visitandi ius soli competit Serenissimo Principi GEORGIO: istius enim supremæ iurisdictioni coenobia subiuncta sunt; quomodo vero prouentus distribui debeant, illud nondum decisum est, atque adeo de eo Principes conuenire necesse est. E re Academiae fuerit, rem clarissimo *Miillero* nostro notam facere, ille certiores vos facere poterit, qua fini instituta sit visitatio, & amoliri, si quid forte maleferiati Academiae insidiantur. Ego suspicor, scio tamen non vsque adeo certo, hoc agi a nonnullis, vt Academiae libera coenobiorum administratio adimi debeat; quid hoc secum trahat, propalam est iis, quibus aulicorum ingenia perspecta sunt. Ego vero suadeo, ne hoc vnquam patiamini. Oeconomiae vestrae ratio non fortasse satis exacta est; sed facili negotio his incommodis mederi potestis, si potestatem curandi ipsi retinueritis: sin vero alii res vestras suo arbitrio disposuerint, breui vobis peribit beneficium Serenissimi nostri Principis beatissimæ recordationis. Hoc autem suadeo, vt primo die coenobia vestra collocetis certa pensione annua, idque legibus exactis: adhiberi vero oportet in collocando rei domesticæ peritissimos, ne vobis fucus imponatur. *Aulici habent abunde, quod agant; neque attinet, vt manus ad res vestras domesticas admoueant: quique operam suam impendere velle simulant, sui lucri causa*



VIII

caussa id faciunt. Equo ne credite vos Academici. Vale,
Vir optime et amicissime, et saluta eximium nostrum
Calixtum.

Brunouici
 d. 31 Iunii a. 1636.

IACOBVS LAMPADIVS.

Plurimum Reverendo, Clarissimo et Eminentissimo Viro,
 Domino *Cunrado Horneio*,

Theologo et Philosopho Excellentissimo,
 Amico meo

Helmstadii.

Epistolam hanc semel atque iterum legenti mihi non
 admirari solum licuit intemeratam et ab omni fraude
 alienam tanti ICTi integritatem, sed castam etiam in-
 primis in Deum pietatem, ingenuumque in sanctissimas
 veritates diuinitus reuelatas amorem, quem nostro qui-
 dem saeculo vel frigescere vel penitus exolescere animad-
 uertimus. Hem Clitipho! inquis, quidni in tanto ho-
 norum fastigio collocatus ICTus caluit ab igne sacro? Fa-
 bulam profecto me narraffe ipse mihi viderer, nisi cor-
 ruptos saeculi nostri mores a castis superioris aetatis mo-
 ribus probe discernendos existimarem. Nostro certe
 aeuo, quod praefiscine dixerim, qui *Abasueri Fritschii*,
Brunnemanni, *Stryckii* aliorumque *christianorum ICTorum*
 vesti-

vestigia premant, pauciores sunt: qui vero caussam
 ciuitatis sacrae agant, prospiciantque, ne quid detri-
 menti capiat res sacra, illi sunt multo paucissimi. In
 re parum credibili vt fides dicto constet, testes suscitabo
 omni exceptione maiores, alterum Theologorum castra
 illa aetate sequutum, Themidos sacris addictum alterum.
 Minime ambiguum est IVSTI GEBENII, summi sacro-
 rum in terris Luneburgensibus antistitis testimonium in
*encom. funebr. p. 63: Seinem gnädigsten Fürsten vnd Herrn
 war er ein treuer Diener, vnd hatte daneben das Vater-
 land von Herzen lieb, vnd meynete dasselbe mit großer
 Treue. Solche Liebe vnd Treue gegen den gnädigen Lan-
 desfürsten vnd das Vaterland hat auch verursacht, daß
 er vor vnd bey wärender seiner Krankheit sich herzlich
 von Münster anhero gesehnet, vnd darauf gefreuet hat,
 daß er nach erlangtem Friede vnd Ruhe, wie er gehoffet,
 in Kirchen vnd Schulen, in der Policey vnd sonst könnte
 gutes stiften. Mit großem Vertrauen auf Gott verrichtete
 er allemahl seine Dinge, vnd befahl dem HERRN seine Wege
 fleissig. Er verließ sich nicht auf seinen Verstand, den
 ihm doch Gott reichlich verliehen hatte, weilweniger traucte
 er auf Menschen Gunst vnd dergleichen Dinge. Wenn es
 auch übel stund, konte er dennoch herzlich seyn, auf den
 HERRN hoffen, vnd auf denselben sein Anliegen getrost
 werfen. Der Leute Neid, Vngunst, Haß und Verleum-
 dungen betrübten ihn nimmer, sondern konte sie durch
 Gottes Gnade ganz nicht achten: über nichts aber beküm-*

merte er sich mehr, als wenn es der Kirche und dem Vaterlande übel gieng. Also habe ich ihn gekannt die vielen Jahre, die ich mit ihm umgegangen bin; und also ist er geblieben bis an sein seliges Ende. Cum GESENIO facit eiusque suffragium vberius declarat PHILIPPVS ANDREAS OLDENBURGERVS ICTus, qui sub ficto Constantini Germanici nomine latere voluit, de peregrin. Germanor. politic. p. 402: Stupenda sane est ingenii ipsius magnitudo, et iuris cum publici tum priuati scientia. Summis Theologis, qui ipsum de christianae fidei capitibus differentem audiuerunt, in deliciis est. Quaestiones eius ex intima philosophia depromptas, earumque accuratissimas resolutiones, attonitis oculis intuentur Philosophi; neque sciunt illi, quid prius mirentur, felicitatem ingenii an eruditionis opes, aut iudicii pondus et grauitatem. Adeo nihil est eximium, quod non teneat egregie. Ita maximis dotibus ornatus maximas consequutus est dignitates, et istud conscendit honoris fastigium, quod virtutibus suis debebatur. In summo tamen illo dignitatis culmine, in magna illa interiorum consiliorum cura, cui Serenissimus Princeps noster illum praefecit, comitatem, humanitatem ac facilitatem perpetuo retinet: in admittendo facilis, in audiendo humanus et patiens, et in dimittendo benignus et aequus existit. Vno verbo: est humanissimus Cancellarius, qui nihil inhumanius esse putat, quam nunquam videre, sed sola tristitia ac supercilio incedere. In mirifico hoc encomiorum dignissimorum consensu atque concentu iure quo-

dam meo uti mihi videor, qui complures LAMPADII
 fimiles ex orbe nunc litterario exulare queror. In illud
 nimirum duro admodum fato incidimus saeculum, quo
 complures, qui ICTorum nomine superbiunt, sibi solis
 sapere videntur, sanctioremque adspernantur auersantur-
 que disciplinam. Siue enim veritatibus sacris, quas vel
 ignorant vel fastidiunt, iniquum statuunt pretium, &
 arctissimi, quod ICTis cum Theologis intercedere oportebat,
 vinculi immemores in omnem Clericorum ordinem odium
 exercent implacabile: siue etiam, quod Thra-
 sonibus impudentissimis familiare est, qui prudentum
 huius saeculi nomen sibi arrogant, ipsam ciuitatem sa-
 cram, vano licet et irrito conatu, fati tamen audacter
 parumque verecunde oppugnant. In illa temporum dif-
 ficultate, cuius nomine *bonorum et christianorum ICTorum*
 index locupletari possit,

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno est.

Sed pluribus haec prosequi nolim, ne in ICTos re-
 centiores, quos ipse verecundius colo, iniurius fuisse
 videar. Significandum mihi potius est argumentum
 orationis publice recitandae. Sollemne mihi nunc vsque
 fuit, quotiescunque publice declamandi opportunitas data
 est, sermonem omnem genio huius saeculi accommo-
 dandi. Semel igitur *de virulentis hostium ciuitatis sacrae*

telis sibi inuicem contrariis; et iterum de superstitione superioris aevi nostro saeculo in ferociam degenerante; et tertio de macula Socinismi quam plurimis oraculorum diuinorum interpretibus recentioribus haud temere inusta publice verba feci; eademque nunc mente de virulentis oraculorum diuinorum interpretationibus, quae nostra aetate in ciuitatem sacram irrepserunt, publica verba facturus sum. Sermoni huic, fore, vt Christianei academici Ephori, Fautores, Doctores, amici & ciues beneuolas praebere aures non dedignentur: vel ob solam argumenti dignitatem et grauitatem non sperare solum possum sed et plane confidere. Altonae a. d. VI August. a. r. s. cIo Io CCLVIII.







50B $\frac{5}{i,22}$


942.





IACOBVM LAMPADIVM ICrum
DE REBVS AD DOCTRINAM SANCTIOREM
PERTINENTIBVS SOBRIE AC MODESTE DISSERENTEM
EX AVTOGRAPHO SISTENS

SERMONEM LATINVM
DE
VIRVLENTIS ORACVLORVM DIVINORVM
INTERPRETATIONIBVS,
QVAE NOSTRA AETATE IN CIVITATEM SACRAM
IRREPSERVNT



A
NTEMER.
RI
ADSESS.

PAEDAGOGII RECTOR,
ACAD. SCIENT. HAFNIENS. ET BEROLINENS. SODALIS,
CIETATVM LITTERARIARVM LATINAE IENENS. ET TEVTONICARVM
REGIOMONTANAE, LIPSIENSIS, IENENSIS ET HELMSTADIENSIS
MEMBRVM HONORARIVM.

ALTONAE STANNO BVRMESTERIANO.

